Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Diana

Diana, Antonino

Coloniae Agrippinae, 1656

Oracula

urn:nbn:de:hbz:466:1-40647

Visual Library

ne præcipiendi illicitum, vel ſuam iuriſdictionem excedens. Ad argumentum in contrarium reſpondent, ſuperiorem habere ius præcipiendi, quod certè, & indubitanter eſt licitum, vel quãdo ſubditus habet ſolùm dubium de honeſtate præcepti, aut iuriſdictione, non autem, cũ habet probabilem opinionem. (Imò Vaſquez *in part. 2. diſp. 62. cap. 8. & diſp. 66 c. 6. n. 51.* idem docet in caſu dubii, quod ipſe approbo, ſi dubium ſit de poteſtate Prælati, vel in controverſia de honeſtate præcepti ſubdito ex obedientia damnum aliquod immineat. Vel ſi eodem dubio laboret Prælatus, *part. 4. tract. 3. reſol 8. & 9.* Docet etiam Palaus *ibid. n. 7.* quod ſi eſt opinio probabilis, quòd Superior non ſit legitimus, quia non eſt electus, &c. ſubditus non tenetur obedire, quia de eius poſſeſſione probabiliter dubitat. Contrarium docet Sanchez *ſum. to. 2 lib. 6. c. 3. n. 19.* Sed vtraque opinio eſt probabilis. Ex his autẽ infert Sãcius *vbi ſuprà*, non poſſe Superiorem iuſtè ſubditũ punire ex probabili opinione non obedientem, quia non obediendo non peccat, ac proinde non meretur pœnam. Sed prima opinio eſt communior, & probabilior. Vide *verb. Excommunicationis, n. 64 part. 1. tr. 13. reſol. 10. & part. 4. tr 4. reſol. 31.* In dubio de iuſtitia tributi probabile eſt vaſallos poſſe illud fraudare. Vide *verb. Gabellas fraudare, p. 9. tr. 9. reſ. 45.*

In conflictu opinionum circa iuriſdictionem inter iudices, laicus eſt competens.

Et generaliter ſemper amplectenda eſt opinio. quæ favet Eccleſiæ, etiã contra communem.

11 Quando varietas opinionum verſatur inter Iudices laicum, & Eccleſiaſticum circa iuriſdictionem, Eccleſiaſticus eſt competens, quia maior *cap. ſi Aicum, & Eodex, de ſent. excomm. in 6.* Ita Sanchez *opuſc. eleſiaſticũ, tom 1. lib. 2. cap. 4. dub. 32. num 2.* & alii, quod in Hiſpania ſervari, teſtatur Covarruuias *pract. quæſt cap. 33. num. 1. parte 4. tractat. 1 reſolutione 64. & part. 5. vbi infrà.* Et generaliter in conflictu opinionum, illa amplectenda eſt, quæ favet Eccleſiæ, etiamſi ſit contra communem, idque in favorem Religionis, & libertatis Eccleſiaſticæ. Ita Iaſon *l. filius familias § divi, ff. de leg 1. numero 81.* ex cap *fin, de ſentent & re iud.* & ex l. *ſunt perſonæ. ff. de Relig. & ſumpt. funer.* & Rota Romana *in vna Veneta anno 1606.* Vel ſaltem, ſi dubium ſit, an ſtatutum ſit, vel non ſit contra immunitatem Eccleſiaſticam, conſulatur Summus Pontifex, vt docuit Carolus Imperator apud Granadum *in cap. memoriam 19. diſt. .... part. 5 tractat. 1 reſolut. 23. §. Igitur. & part. 7. tractat. 10. reſolut. 5.* Item eligenda opinio quæ favet validitati matrimonii & profeſſionis *part. 10. tract. 13. reſolutione 19.*

ORACVLA.

Oracula ſunt ablata.

1 ORacula vivæ vocis conceſſa Regularibus, ablata ſunt ab Vrbano Octavo 10. Decemb. 1631. quidquid alii dicant, *part. 9. tr. 7. reſ. 61.*

ORARE.

Orare pro excommunicatis, an liceat?

1 ORare publicè pro excommunicatis non toleratis non licet, pro toleratis, dubium eſt, de quo vide *verb. Excommunicationis à n. 1.*

Orare in peccato pro Defunctis an illis proſit?

2 ✠ Oratio in peccato mortali tanquam à perſona privata, non ſuffragatur animabus Purgatorii. ✠ At ſi ſit ab Eccleſia inſtituta, vt Officium Defunctorum, Horæ Canonicæ, Pater noſter, &c. prodeſt: quia hoc ipſo quòd Eccleſiam illam inſtituit, Deo grata eſt, & Eccleſia pro omnibus ſuis membris viuis Deo offerri voluit. Ita Navarra *de reſt. lib. 2. num. 254.* licet alii probabiliter contrarium ſentiant. *parte 5 tr 14 reſ. 79.*

Et an ad vincendã gravem carnis tentationem teneamur orare.

3 Qui notabili tentatione carnis, v. gr. affligitur; tenetur orare, & auxilium Dei implorare. Quòd ſi non oret, & tentationi ſuccumbat, peccare dupliciter, putat Sancius *in ſelect. diſp. 21. numero 19. 20.* ſcilicet contra Religionem, & caſtitatem. Sed placet opinio contraria, nam obligatio orandi in tali caſu eſt per accidens, ſicut in multis caſibus per accidens obligat actus amoris Dei; in quibus tamen illum omittere, non eſt

ſpecia-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN